

quentius et continuo, juxta Art. 7. Decreti 2. Maximiliani Imperatoris, Anni 1572. et Art. 3. Anni 1575. in solito suo loco et Terminis consuetis celebrari; et per Dominum Comitem Banum, sine impedimento publicari possint:

§. 1. Praesertim cum non Inclita Camera sua Majestatis Ungarica, sed illud solum Regnum, Assessores illorum Judiciorum et Sedis Banalis, pro Diurnis ipsorum, ex propriis suis Contributionibus exolvere soleat.

§. 2. Hoc declarato; quod, si ante expletos ipsorum Judiciorum Ordinarios dies, in praescripto Articulo 7. Anni 1572. et in Articulo 13. An. 1478. declaratos, causae deficerent; per hoc Judicia hujusmodi non condescendant, suadente Articulum 3. Anni 1486.

Transmissiones in Regno quoque Sclavoniae et Croatiae, etiam extraordinarie, in plena tamen Sede Banali revideantur.

Articulus 88.

Pro celeriori Justiciae, in illis etiam Regnis administratione, necessarium judicarent Status et Ordines; ut in Regno quoque Sclavoniae et Croatiae Transmissiones Protonotarii et Comitatuum illius Regni, non solum in ordinaria Sede Banali, sive Octavali illius Regni, sed etiam extraordinarie, in plena tamen Sede Banali; juxta Articulum 3. Anni 1575. computanda, singulis futuris Annis, in quibus Octavae illius Regni, in Sede Banali celebrari solitae fuerint, intermissae; in Termino ad id per Dominum Banum praefigendo, tot diebus, quot necessarium fuerit, legitime revideri; abinde vero, juxta Titulum 3. partis 3. Decreti Tripartiti, in Curiam Regiam provocari; et sub Posoniensibus duntaxat Generibus, vel Brevibus Judiciis, ac sub Diaetalibus etiam Terminis Posonii celebrandis, juxta citatum Art. 7. Decreti Secundi Maximiliani, Anni 1572. vel vero juxta Art. 52. Anni 1622. in Termino Révisionis Appellationum, per Dominum Comitem Palatinum, in partibus Cisdanubianis praefigendo, iterum maturius revideri possint ac debeant.

§. 1. Ad Judicia vero in Civitate Eperjes celebranda, ob longam distantiam et pericula intinerum; juxta citatos Articulos, nemo ex Regno Sclavoniae suas Appellations deducere teneatur.

§. 2. Appellationibus ex illo quoque Regno, jam non revisis, pro rejectis manentibus.

De Valachis, Sclavis et Praedauciis, in Confiniis commorantibus; renovatur Articulus 31. Anni 1649. et Generalis Commissio Viennae, intra Annum hinc computandum, instituatur.

Articulus 89.

Ex benigna sua Majestatis annuentia et communis Regnicolarum voto, de restituzione Valachorum, in Confiniis Sclavonicis et Croaticis commorantium, eorumdemque ad Sacram Regni Coronam et Regnum, juxta Diploma et Articulos